

qua sacerdos Domini assistentiam et favorem populo apprecatur, quibus continuo indiget : et cum sacerdos non minus divina indigeat assistentia, minister respondet *Et cum spiritu tuo*; quod responsum reperitur II, ad Tim. IV, 22.

5. Alta adhuc voce dicit *Oremus*, ut omnes excitet ad secum orandum, interim extendens et jungens manus ad exprimendum actum devote supplicantis et auxilium a Deo quærentis.

Hæc omnia dicuntur ante gradus altaris, quia sunt veluti præparatio ad missam.

EXPLICATIO ORATIONUM *AUFER A NOBIS, ETC. USQUE AD
GLORIA IN EXCELSIS.

53. Orationes *Aufer a nobis* et *Oramus te Domine* dicuntur secreto, quia sacerdos pro se solo orat, ut patet ex fine orationis *Oramus te Domine*.

In oratione *Aufer a nobis* per *iniquitates* intelligitur omne quod opponitur justitiæ, et per *sancta sanctorum* ipsum altare, comparatione facta ad cœlum, vel ad templi Salomonis sancta sanctorum, quo summus pontifex multis cæremoniis prævie sanctificatus, semel tantum in anno impune intrare poterat : unde reflectere debet sacerdos, quam pura a peccatis mente ad altare accedere debeat (1).

Oratio *Aufer a nobis*, et regulariter omnes aliæ concluduntur *Per Christum Dominum*, ut id, quod petitur, efficacius et plenius obtineatur in nomine Christi, qui est fons omnium gratiarum, et qui Joan. XVI, 23, dixit : *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis*.

54. Sacerdos infra orationem *Oramus te Domine*, corpus mediocriter inclinatur, ut se coram Deo humiliet, et statum supplicis assumat, dum pro suis peccatis deprecatur. Manus junctas super altare deponit, non tantum quia sic convenit

(1) Lebrun, p. 1, art. VII.

propter inclinationem, sed etiam ut se uniat Christo per altare repræsentato, et sanctis ibi quiescentibus. Osculatur altare in signum amoris erga Christum, vel potius, quia non fit in ipso accessu altaris, sed ad verba *Quorum reliquiae hic sunt*, in signum amoris erga sanctos, ut illorum opem consequatur. Extendit manus ad facilius osculandum, vel etiam ad Christum aut sanctos quasi complectendos, eorumque benevolentiam consequendam; extendit autem manus extra corporale, nisi nimis magnum foret, ne tactu manuum sordescat.

Occasione orationis *Oramus te Domine*, in qua fit mentio reliquiarum sanctorum, notari potest, originem sanctorum reliquias altari includendi, desumi a primis Ecclesiæ sæculis, in quibus altaria super martyrum sepulcra communiter erigebantur : data deinde pace templa et altaria juxta usum primævum erecta sunt in cœmeteriis, ubi jacebant martyrum corpora; multiplicatis autem templis et in his altaribus, ut ritus antiqui specimen servaretur, reliquiae quædam sanctorum altaribus inclusæ sunt : 1º ad servandum vestigium antiquitatis, 2º ut sacerdos in altari suos speciales apud Deum habeat intercessores, 3º ut figuretur communio sanctorum : unio enim reliquiarum cum altari Christum repræsentante, simul et sacerdotis celebrantis, non obscure exprimit communionem, quæ inter Ecclesiam triumphantem et militantem existit.

55. Recitata oratione *Oramus te Domine*, in missa solemniter fit incensatio altaris, circa quam notandum est, thuris cremationem apud Judæos et paganos viguisse, et in Ecclesia antiquissimam esse. In veteri lege, Deo jubente, altare specialiter exstructum erat, ad singulis diebus mane et vesperi thymiana, id est incensum suavissimi odoris offerendum; et apud gentes receptum erat, ut thus diis suis offerrent, adeo ut poetæ thuris honores divinos vocent. Unde factum est, ut Magi thus Christo tanquam Deo obtulerint. Non mirum igitur est, Ecclesiam cæremoniam olim a Deo pro synagoga institutam, reservandam decrevisse.

Fieri quidem potuit, ut primis Ecclesiæ temporibus thuris